

DECAS  
QVÆSTIONUM  
PHILOSOPHICARUM,

*Quas*

*D. T. O. M. A.*

PRÆSIDE

M. DANIELE STHALIO,  
Collegii Philosophici in inclyta Salana  
Adjuncto,

PUBLICÈ

*In Auditorio majori*

*10. April. horis antemerid.*

*Pro viribus defendet*

JOHANNES WEINMANN,  
Svvinfurtensis Francus.



J. E. N. Æ

EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOHANNIS  
BEITHMANNI.

ANNO MDCCXIX.

*57.*

*a. CXVI. 57.*

~~14.~~ 14.

Coll. diss. A  
16, 57





V I R O

*Clarissimo & Excellentissimo,*

Dn. JOHANNI CUNRADO Senff  
Medicinæ D. experientissimo, & Reip.

Kittingensis Physico Ordinario  
dignissimo.

U T E T

*Spectatissimo, virtute, prudentiâ & humanitate  
Prestantissimo Viro,*

Dn. WILHELMO STHALIO,  
Civi Svvinfurtensi primario.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

*Dnn. Mecænatibus, Fautoribus, ac  
Benefactoribus suis observantiæ  
cultu prosequendis.*

Ζητήματα hæc Philosophica  
In gratæ mentis τεκμήριον

D. D. D.

Johannes U Weinmann

Ref.

11. 31





QVÆSTIO I.

*An omne, quod advenit Enti in actu, sit accidens?*

THESIS I.



Uulgatum hoc est apud Philosophos: *Quod advenit Enti in actu, est ejus accidens.* Certum autem est, quod non sit intelligendum de accidente prædicamentali. Multa enim adveniunt rebus in actu, quæ accidentia prædicamentalia non sunt, sicuti pili accedunt homini existenti, qui tamen non accidentia, sed substantiæ sunt.

Accipiendum ergò est de accidente, quod vocant Prædicabile, & tam substantia quam accidens prædicamentale esse potest.

2. Cæterùm *Thomas part. 3. quest. 2. art. 6. ad 2.* existimat, non esse universale, & idcirco adhibet quandam limitationem. Sic enim inquit: *Dicendum, quod illud, quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi; sicut in resurrectione corpus advenit animæ præexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumitur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam.*

3. Verùm enimverò supervacanea & sine causa conficta hæc restrictio videtur esse. Quod enim aliquid adveniens alicui post esse trahatur ad communionem illius esse, non impedit, quo minus accidentaliter illi adveniat, sicut apparet de albedine, quæ adveniens quanto post ejus esse trahitur in communionem illius esse. Accipit enim ab eo esse extensum, siquidem extenditur ad extensionem quanti, & tamen albedinem accidens esse sive accidentaliter advenire quanto, nemo negabit, nisi qui in Logicis parum versatus.

A 2

4. Quod



4. Quod de corpore respectu animæ affertur, eadem facilitate rejicitur, quâ asseritur. Quid obstat, quo minus corpus, quod advenit animæ præexistenti, dicamus ei accidentaliter advenire? Certè potest corpus animæ adesse & abesse citra ejus corruptionem. Quidni ergò ejus accidens fuerit?

5. Notandum tamen, quod corpus animæ vel etiam animam corpori accidentaliter advenire vel uniri, possit accipi dupliciter: primò, ut hæc denominatio sumitur à termino, qui ex unius ad alterum adventu existit, & sic concedi potest, non accidentaliter advenire, quia terminus, qui ex tali adventu vel unione resultat, non est unum per accidens, sed est unum per se, nempe homo. 2. ut sumitur simpliciter ab habitudine animæ & corporis inter se, non attendendo terminum, & sic utique corpus advenit animæ accidentaliter, sicut & anima corpori, quemadmodum patet ex dictis.

## QVÆSTIO II.

### *An causa instrumentalis possit determinare principales?*

1. Quidam aliquando pro sententia Huberi de universali electione omnium hominum proposuit hoc argumentum: Cujus omnes causæ sunt universales, id ipsum est universale; at omnes causæ electionis sunt universales, hoc est, extendunt se ad omnes homines, nempe dilectio Dei & meritum Christi. E. ipsa electio universalis est. Quod si quis exceperit contra minorem, fidem etiam esse electionis causam, quæ tamen non sit universalis, hoc est, non sit omnium hominum, inter alia respondit: Si vel maximè fides sit causa electionis, tamen esse causam instrumentalem: *Instrumentum autem non posse determinare causam principalem.*

2. Nos reliqua Theologis discutienda relinquentes, de eo, quod ad Philosophos pertinet, agemus, nempe: *An causa instrumentalis possit determinare principalem?*

3. Existimamus autem distinguendum esse & dicendum, quod instrumentum possit dici determinare causam  
princi-



principalem dupliciter: 1. Quoad specificationem effectus.  
2. quoad ejusdem causationem. Quando dicitur, instru-  
mentum non determinare causam principalem, sed potius  
ab ea determinari, intelligitur hoc priori sensu, ita scilicet,  
quod, ut effectus talis specie fiat, non proveniat à causa in-  
strumentali, sed à principali. Sic quod diversum generatur  
à diverso, ab homine homo, ab equo equus, à leone leo,  
non provenit à calore, qui in generatione horum omnium  
est instrumentum, sed à causa principali, nempe ab ipso ho-  
mine, leone, equo. Idem perspicitur in artificialibus: Faber  
ferarius v. gr. instrumenta habet, malleum, limam, &c. qui-  
bus plura opera specie diversa potest efficere, quod autem,  
jam clavum fabricet, jam seram &c: non pendet ab instru-  
mentis illis, sed refertur hæc determinatio ad ipsum fabrum,  
tanquam agens principale.

4. Quod verò attinet causationem effectus simplici-  
ter, hoc est, ut effectus fiat vel non fiat à causis principalibus,  
hoc modo nihil obstat, quo minus causæ principales aliquo  
modo dicantur determinari etiam ab instrumentalibus. Etsi  
enim adsint omnes causæ principales, & reliqua, quæ ad  
producendum effectum requiruntur, deficiat verò alicubi  
instrumentum, nihil efficitur. Eademque ratione, si causæ  
sint universales, possintq; plurimi numero effectus ab iis pro-  
venire, deficiat verò alicubi instrumentum, effectus non erit  
universalis. Ita sint in uno conclavi plures scribæ, habeant  
omnes omnia, quæ ad scribendas epistolas sunt necessaria,  
excepto, quod unus & alter careat penna, tunc profectò de-  
fectus pennæ tanquam instrumenti impedit, quo minus tot  
exarentur Epistolæ, quot debebant.

### Q V Æ S T I O III.

*An aliquid possit dici de toto, quod nulli parti  
convenit?*

1. Existimant quidam, absurdum esse, aliquid de toto  
affirmari, quod non de aliqua affirmetur parte. Sed contra-  
rium manifestissimum est. Animal dicitur de homine, & ta-



men nulla pars hominis est, quæ sit animal. Ita propositio est vera vel falsa, & tamen nulla pars propositionis, sive ea sit subjectum, sive prædicatum, sive etiam copula, vera vel falsa est.

2. Neque quicquam obstat, quod totum non denotet naturam à partibus simul sumptis distinctam, sed sit idem cum illis. Primò namque hic non quæstio est de partibus simul sumptis, sed de singulis; An scilicet aliquid dicatur de toto, quod non possit dici de aliqua singularum partium. At totum & singulas partes realiter differre certum est. Secundò, etsi totum & partes simul sumptæ sint idem realiter, ratione tamen differunt. At non est à vero alienum, de eorum uno, quæ solâ ratione distinguuntur, aliquid dici, quod de altero non dicatur.

#### Q V Æ S T I O IV.

##### *De quantitate intelligentiarum.*

1. Scal. exerc. 359. sect. 3. duplicem facit quantitatem, unam prædicamenti, alteram intelligibilem. Illam Angelis denegat, hanc attribuit. Verba ejus sunt hæc: *Sunt (intelligentiæ) finita quantitate: quia non potest excedere quantitas substantiam. Quid ais? inquires: Ergo quantæ sunt intelligentiæ? Quantæ quidem, haud quantitate prædicamenti, sed quantitate intelligibili: ut intellectus intelligat in eis unam partem, quæ non sit alia.*

2. Notandum a. r. quod quamvis sæpè intellectus in re concipiat aliquid, quod revera & citra mentis operationem in illis non reperitur, Scaligeri tamen, cum dicit, intellectum intelligere in intelligentiis unam partem, quæ non sit alia, mentem esse, quod revera in iis una pars reperiatur, quæ alia non sit. Nam statuit reverà intelligentiis competere quantitatem. E. necesse est, statuatur nō solùm intellectum intelligere in iis partem unam, quæ non sit alia, sed etiam partes hujusmodi reverà ipsis inesse. Consequentia patet, quia per hoc describit quantitatem intelligentiarum. Antecedens probatur, quia intelligentias revera figurâ præditas esse asserit. E. quantitatem revera eis competere, negare non potest. Tàm absurdus enim non est, ut ponat figuram absq; quantitate.

3. Notan-



3. Notandum 2. quando Scaliger intelligentiis attribuit unam partem, quæ non sit alia, ita intelligendum esse, quod illarum partium una sit extra aliam, quoniam alias non haberet sufficientem causam attribuendi quantitatem intelligentiis. In multis enim rebus datur una pars, quæ non sit alia, in quibus tamen propterea nulla ponitur quantitas v. g. in toto essentiali est una pars, quæ non sit alia, nempe materia & forma, quod tamen ut sic non statuitur quantum. Deinde intelligentiis tribuit extremitatem & figuram. At minimè videtur extremitas & figura locum habere posse, nisi ubi dantur partes, quarum una extra aliam.

4. His præsuppositis facilè apparet Scaligeri sententiam esse absurdam. Nam in quocunq; est pars extra partem, id est quantum quantitate prædicamenti, ut manifestum est illi, qui Philosophorum disputationes de ratione formali quantitatis evoluit. At in intelligentiis non est quantitas prædicamenti, ut asserit Scaliger. E. nec in iis est pars extra partem, & per consequens nec quantitas intelligibilis, ut Scaliger eam explicat.

## QVÆSTIO V.

*An detur conceptus communis DEO & Creaturis,  
& qualis ille?*

1. Conceptus hic, esse citra mentis operationem, est communis DEO & creaturis. Quis enim negabit, DEUM esse citra mentis operationem? quis negabit creaturas esse citra mentis operationem? Ergò falsò quidam statuunt, nullum dari conceptum communem DEO & creaturis.

2. Undè apparet etiam illos errare, qui, cum DEUS & creaturæ dicuntur Entia, asserunt nomen solum unum esse & commune, rem autem significatam esse diversissimam.

3. Non solum autem defendimus, dari aliquid commune DEO & creaturis; sed etiam dari quid essenziale in creaturis, quod cum DEO habeant commune. Dubitatur etiam ulterius; an conceptus v. g. Entis, quatenus est communis DEO & creaturis, sit univocus vel analogus, sive ut Philosophus loquitur, ἀφ' ἐνός. Nos defendimus posterius.

QVÆ-



## QVÆSTIO VI.

### *An DEUS sit universale?*

1. Ita videtur: Universale namque est, quod pluribus inesse aptum est, quod de pluribus prædicari aptum est: Deus est in pluribus, nempe in tribus personis, & de iis prædicari aptus est. Dico namque rectè, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. E. Deus est universale respectu trium personarum.

2. Sed respondetur ad majorem. Non omne illud universale est, quod quovis modo pluribus inest, & de illis prædicatur, sed requiritur, ut in illis multiplicetur secundum rem, sive ut illa in quibus est, & de quibus prædicatur, sint plura, sub nomine & conceptu hujusmodi universalis, sicuti natura hominis multiplicatur in individuis humanis, & homines sunt plures sub nomine & conceptu hominis, ita ut rectè dicam, Petrus & Johannes sunt duo homines: sed non sic DEUS respectu trium personarum. Non multiplicatur divina natura in tribus personis, non sunt plures sub nomine & conceptu DEI. Hinc non dicere possum. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres Dii, quæ omnia tanquam probata à Theologis præsupponimus.

3. Similiter DEUS est unus numero. E. non est universale. Numero enim unum & universale opponuntur. Undè concludo, cum prædicatur DEUS de Patre, Filio & Spiritu sancto, nec prædicari ut genus, nec ut speciem, nec ut differentiam, neque ut proprium, neque ut accidens.

## QVÆSTIO VII.

### *An aliquid de Deo possit demonstrari à priori?*

Affirmamus. Neque obstat, quod objicitur; in DEO nihil dari prius, nihil posterius; vel in DEO non dari causam & effectum. E. de DEO nihil posse à priori demonstrari. Quamvis enim in DEO non detur prius & posterius secundum rem, datur tamen secundum rationem sive secundum nostrum

nostrum.



nostrum concipiendi modum. Quemadmodum enim quod inter attributa divina non datur distinctio realis, non impedit, quo minus detur inter ipsa distinctio rationis, ita per hoc, quod in DEO non est prioritas realis, non tollitur prioritas rationis.

2. Quod autem attinet causam & effectum, notanda distinctio ex Cajetano super. 1. post. c. 2. Ubi causa, inquit, propter quam res est seu in essendo, dicitur dupliciter; quaedam est verè & realiter causans (secundùm aliquod genus causalitatis) id, cujus causa dicitur, quæ & distinguitur realiter ab eo, cujus est causa, sicut rationalitas est causa risibilitatis; quaedam autem est, quæ non tam est causa ejus, cujus causa dicitur, quàm ratio, quod illud inest, & non solum ratio, quod cognoscatur inesse, sicut omnimoda immutabilitas in DEO est causa suæ æternitatis: & immaterialitas (propèrè dicta) inventa in anima est causa suæ immortalitatis. Et paulò post illam causam, quæ revera causat, appellat Cajetanus causam in essendo formaliter: illam verò, quæ solum est ratio, cur aliquid inest, appellat causam in essendo virtualiter.

3. Hinc respondeo, etsi in DEO non sit causa in essendo formaliter, quæ scilicet verè & realiter causet, neq; etiam in eo sit effectus (hoc enim si esset, daretur in DEO compositio) datur tamen aliquid in DEO, quod sit alicujus ratio à priori, quæ appellatur causa virtualiter, sicut si interrogatus fueris, quæ sit causa vel ratio, cur DEUS sit æternus, ex sententia Cajetani rectè responderis, propterea esse æternum, quia sit omnimodò immutabilis.

## QVÆSTIO VIII.

### De divisione finis in finem Cujus & Cui.

1. Dividit Aristoteles 2. de anima finem in finem Cujus & Cui. Hanc divisionem reprehendit Timpler. l. 3. Metaph. cap. 2. quæst. 41. Ratio ejus est hæc: Quidquid est id, cujus gratia aliquid est, id est finis Cujus. Omnis finis est id, cujus gratia aliquid est. E. omnis finis est finis Cujus, & per consequens male dividitur finis in finem Cujus & Cui.

B

2. Sed



2. Sed hæc ratio Timpleri tanta non est, ut propterea Aristotelem relinquere debeamus. Sciendum igitur quod cum dicitur, *finis Cujus*, vel, *id cuius gratia*, hoc possimus dupliciter explicare, 1. specialiter, nempe cum exclusione, quod scilicet aliquid sit solum id, cuius gratia aliquid est vel fit, & non simul subjectum, vel id, cui aliquid procuratur, sicut in curatione sanitas est id, cuius gratia medicamenta adhibentur, sed non est subjectum, cui adhibentur. 2. Generaliter, nempe cum abstractione, quod scilicet aliquid alicujus gratia sit, non attendendo an sit simul id, cui aliquid procuratur, vel non sit.

3. Jam dico, quando finis definitur, quod sit id, cuius gratia aliquid est, tunc accipiendum esse generaliter & cum abstractione, quando verò dividitur in finem Cujus & Cui, accipiendum esse cum exclusione.

4. Hinc nego majorem in argumento Timpleri. Si *finis Cujus* accipiatur specialiter & cum exclusione, quia sc. non omne id, cuius gratia aliquid est, vel procuratur est solum id, cuius gratia est vel procuratur, ita ut non sit simul id, Cui procuratur, sicut in curatione homo est id cuius gratia medicamenta adhibentur, ita tamen ut sit simul id, cui adhibentur. Quod si in propositione majore *finis Cujus* accipiatur generaliter, nihil concluditur contra nostram sententiam, quia concedimus, hoc modo finem non rectè dividi in finem Cujus & Cui.

## Q V Æ S T I O IX.

### *De causalitate materiæ.*

1. Quidam contra materiam, quod in numero causarum non sit, ita argumentantur: Quicquid non agit, non est causa. Materia non agit. E. Materia non est causa.

2. Respondent negando minorem, & ad hoc utuntur auctoritate Scaligeri, qui *Ex. 307. f. 27.* materiæ tribuit actionem. Verba ejus sunt ista: *Materia videtur agere, ut forma existat. Non enim esset unum ex principiis: nisi aliquid faceret.*

3. Nos minorem propositi argumenti concedimus, & dicimus materiam non agere; imò, quod ex abundantia addimus,

b. 2. 5




dimus, neque formam, ut forma est agere putandum est. Negamus autem majorem & asserimus non omnem causam agere. Neq; tantam facimus authoritatem Scaligeri, ut ipsi concedamus, non posse aliquid esse principium, nisi agat.

## QVÆSTIO X.

*An propositio necessaria postulet subiectum necessarium?*

*Zabarella lib. 1. de prop. necess. cap. 2.* statuit, nullam propositionem esse necessariam, cujus subiectum non sit necessarium. Quæritur an rectè? Negamus. Ratio: In quacunq; propositione est necessaria connexio prædicati cum subiecto, ea est necessaria. In quadam propositione, cujus subiectum non est necessariū, est necessaria connexio prædicati cum subiecto. E. quadam propositio, cujus subiectum non est necessarium, est necessaria. Minorem probo: In hac propositione, virtus est habitus, est necessaria connexio prædicati cum subiecto. Hujus propositionis, virtus est habitus, subiectum non est necessarium. E. in quadam propositione, cujus subiectum non est necessarium, est necessaria connexio prædicati cum subiecto. Majorem *Zabar.* negare non poterit, siquidem ipse *c. 1. lib. cit.* propositionis necessitatem nihil aliud esse dicit, quàm prædicati cum subiecto perpetuum atque indissolubilem nexum.



## COROLLARIA.

I.

*An aliqua forma sit divisibilis? A.*

II.

*An ex eo, quod unum est verum convertuntur?*



tuntur, rectè colligatur, veritatem  
esse unicam? N.

III.

An ars rectè definiatur comprehensio præ-  
ceptorum verorum &c? N.

IV.

An bonitas rectè dividatur in veram &  
apparentem à Timplero 2. Metaph.  
cap. 9? N.

V.

An vir liberalis, si redigatur ad extremam  
pauperiem, maneat formaliter libera-  
lis? A.

FINIS.



Coll. diss. A. M. B., L. 156, 57